1393 Mediis Januar. Ex Orig: Arch: Regni. 551.

Wladislaus Rex Poloniæ in villa Krziwagora 100. Marcas Vincen: Granowski Castellano naklensi inscribit.

Wladislaus Dei gratia Rex Poloniæ Lythaniæque Princeps Supremus, ac hæres Russiæ &c: Significamus quibus expedit universis præsentium noticiam habituris, quod consideratis multiplicibus fidelitatum Studiis ac indefessis laboribus, quibus nostræ Majestati fidelis noster dilectus Strenuus Vincentius Granowski Castellanus Naklensis actenus complacuit, volentes ipsum ad Servicia ampliora nobis in antea exhibenda reddere promptiorem de nostræ liberalitatis benignitate eidem vincentio centum Marcas grossorum de et super villa nostra regali dicta Krzywagora in terra nostra Majoris Poloniæ duximus dandas fore atque donandas, ipsasque damus per præsentes, præfatam igitur Krzywagora villam eidem Vincentio conferimus tenendam habendam, utifruendam et possidendam, cum omnibus et singulis ipsius villæ utilitatibus, proventibus, fructibus, redditibus, censibus et emolumentis universis tamdiu, quousque eædem centum Marcæ eidem Vincentio integraliter et complete fuerint

erint persolutæ. Harum quibus nostrum sigillum appensum est testimonio literarum. Datum in Inowlodz feria quinta proxima post Octavas Epyphaniæ, Anno Domini Millesimo, trecentesimo nonagesimo tertio.

Ta Kopia przepisana z Oryginału pargaminowe, u którego wisi pieczęć na Zawiasce pargaminowey, Roku 1784. d. 31. Augt: